



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput III. Continet rursus memoriam dolorum B. V. Mariæ, & petitiones
variorum donorum per eosdem angores Dei Matris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

CAPUT III.

Continet rursus memoriam dolorum B. V.

*MARIÆ, & petitiones variorum
donorum per eosdem angores
Dei Matris.*

A Ge sis Parthenophile, effare, si quis pro te, alias trahendo in captivitate turcicam lytrū persolveret, tu vero eo periculo defunctus insignes honores, lautasque divitias adires, meminissesne quandoque benefactoris tui? credo, si non omnino barbarus audire velles, diebus prope singulis, imo horis, tantum animo tuo beneficium obversaretur, neque enim similis es Pincernæ Pharaonis intra annos aliquot Josephi non recordantis. Verum quorsum ista, inquis, gratitudinis recordatio? paucis adverte, docebo: S. Thomas Archiepiscopus Valent. Sermone I. de assumptione V. sic scribit: *Venit (Dominus Jesus) ad Virginis mensam, & inde numerosam pecuniam accepit, quam redderet creditori, accepit namque carnem, unde Patri redderet pro amico, quem sibi fecerat ex servo, tot precia*

cia

cia peccatorum. O quam plene solutum est ab eo peccati debitum! O quam bene numeratam pecuniam creditori dedit super crucis mensam! Quot flagella, quot alapas, quot punitiões, quot vulnera, quot injurias, quot lacrymas, quot tormenta, denique atrocissimam mortem.

Ecce captivi precium, quo solutus est ab ergastulo; precium ergo redemptionis Christus persolvit; sed hæc mulier ei dedit unde solveret. Ipse Redemptor est, sed hæc mulier dedit illi, unde redimeret. O quantum tibi tenemur Virgo beata, quid tibi pro tanto beneficio retribuemus? jugem scilicet memoriam tantorum dolorum ac beneficiorum nobis ab hac optima Domina nostra exhibitorum. Profecto Virginis meminisse ipse nos docet Dei filius, quod bene advertens Arnoldus Carnot. de laudibus Mariæ sic scribit: Hoc stupendum est, quod consummata dispensatione incarnationis exspiraturus Jesus Matrem tanto affectu honorat, victor suppliciorum, & quasi sui immemor ad Matrem de cruce convertitur, & colloquitur intimans, quanti apud Deum meriti esset, & gratia, quam solum in illo puncto respi-

respiceret, cum jam capite vulnerato, fassis manibus, & pedibus in ultimis esset. Movebat enim eum Matris affectio, & omnino tunc erat una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum; ambo pariter offerebant DEO, hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verum brevis est sermone colligendum, quo initio, quo progressu ad hunc beatitudinis cumulum Virgo pervenerit, ut cum Christo communem in salute mundi effectum obtineat. Vide quomodo ex mente Arnoldi Virgo beata cooperata sit nostræ salutis, quàmque vel ipse moriturus Dominus Maternorum suppliciorum memor ligno affixus perstiterit, ut & tu optimum magistrum imitareris. Septies igitur minimum hodie dolorum Beatissimæ ac tristissimæ Matris tuæ, Parthenophile, recordaberis; quod commodissime efficies, si sequentes oratiunculas devoto animo, & attenta mente, ruminabis.

I.

Prædicio Simeonis.

Ave Dulcis Mater Christi,
Quæ cor tuum gladio

Trans-

Transfigendum audis tristi

Senis vaticinio

Tanti memor fac doloris

Mihi sis præsidio

Ut post vallem hanc mætoris

Cæli reddar gaudio. *Ave Maria.*

Oratio.

OMater sanctissima una cum sponso tuo castissimo Josepho gravissime afflicta, fac precor, ut gladius ille commiserationis tuæ, qui jam tum ab ipsa Salvatoris infantia ad usque mortem in cruce, animam tuam transfixit, intimas etiam cordium nostrorum medullas salutari sensu doloris afficiat. Per tristissimam vero illam Simeonis denuntiationem à nobis decretoria illa luce, averte ancipitem gladium infelicis sententiæ *Ite maledicti in ignem æternum.* Quin potentibus tuis precibus apud filium effice, ut felicissimam potius cum electis vocem audiamus: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum. Amen Domina fiat, fiat!

2.

Fuga in Ægyptum.

Ave dulcis Mater Christi

Quæ præ Regis furiâ

Sævientis cæde tristi

Fugis exul patriâ,

O Regina Beatorum

Memor sis exilii,

Fac infractus vi malorum

Fiam consors filii. *Ave Maria.**Oratio.*

Cur me tantilla frangit calamitas?
 Cur primus statim impetus adverfi-
 tatis elidit? disce, quisquis affligeris non
 queri deinceps, non ulcisci illatam à
 quocumque injuriam. Ecce à morta-
 lium facile omnium nequissimo Ange-
 lorum Regina in longinquas regiones
 cum sponso suo ejicitur; Deique filius
 ad necem quæritur, ab iis ipsis, quos
 summa bonitate condiderat, & creârat,
 quos venerat redempturus, quos unico
 nutu, si voluisset, funditus delere po-
 tuisset. Tuis, O amantissima Mater
 mea obsecro, sponsique tui condolen-
 tis suffragiis illam mansuetudinem, il-
 lam

lam

Iam mihi maxime necessariam virtutem
obtine, O omnium Mater virtutum, tri-
stissima Virgo Maria. Amen fiat!

3.

Christi amissio in templo.

Ave dulcis Mater Christi

Natum lugens inclytum,

O quam tristis quæsiisti

Triduo jam perditum.

Hujus memor O doloris

Christum fac inveniam,

Et inventum per amoris

Nexum, semper teneam. *Ave Maria.**Oratio.*

AH! quot lacrymis ad te suspiro mi
JESU, neque tamen invenio, quem
diliget anima mea! fuerunt mihi lacry-
mæ meæ panes die, ac nocte, dum dico
mihi quotidie ubi est Deus meus? Ubi
moraris Deus, Jesu cordis mei, pro me
sic passe, sic interfecte? ubi moraris cor
cordis mei, O amor, & omne meum so-
latium, spes, quies, & gaudium meum?
Deus cordis mei, & pars mea Deus in
æternum! ubi, ubi tandem te reperiam,

&

& quando? Tu O dolorissima Domina
 & Mater mea, Tu, inquam, piissima cum
 dilectissimo sponso tuo Joseph, quæ
 ipsum illum dilectum nullâ tuâ culpâ
 amissum elapso triduo feliciter in tem-
 plo recuperasti, effice, qua vales apud
 Deum gratia, ut integerrimi amoris igne
 succensus, omnibus illum cogitationi-
 bus meis, omnibus dictis, factisque sem-
 per, & ubique quæram, tandemque hu-
 jus tædiosissimæ vitæ cursu confecto, in
 Hierosolymæ cœlestis templo repe-
 riam, tecumque æternum amplectar.
 Amen fiat!

4.

*Captivitas & passio Christi usque ad
mortem.*

Ave dulcis Mater Christi

Quæ dilectum filium

Capi, cædi flens vidisti

Manibus crudelium;

O per pœnas patientis

Nobis detur venia;

Per amorem condolentis

Marris crescat gratia. *Ave Maria.*

Ora-

Oratio.

Quis commiserationem plane im-
mensam non hominum modo, sed
etiam Angelorum, aut verbis explicet,
aut intelligentia comprehendat? quo
sensu doloris, quibus aculeis censes ma-
ternum pectus fuisse transfixum, cum
in filium plagis lividum, flagellis con-
cisum, spinis compunctum, toto corpo-
re sanguinolentum; mox ferali trabi
adjudicandum incidit? O Mater dolo-
rum! quæ pro mea, omniumque salu-
te, quæcunque filius tuus dilectissimus
corpore vulnera, lubentissimo tamē ani-
mo excepisti; mihi quæso multis quoq;
angustiis, doloribusque oppresso cle-
menter adsis, animique in quibusvis
adversis robur, & Christianam constan-
tiam tuâ intercessione consequere,
Amen fiat Domina!

Crucifixio & mors Christi.

Ave dulcis Mater Christi,
Quæ sub crucis stipite
Gemens natum morte tristi
Vides heu succumbere;

O per

O per ensem hunc doloris
 Qui tunc scidit animam
 Me fac firmet vis amoris
 Morris ad victoriam. *Ave Maria.*

Oratio.

Flerine potest O afflictissima Mater
 arboris tam funestæ te ut umbra de-
 lectet? ubi non lacrymis modo, sed
 etiam sanguine rigaris? ubi tot spinis
 Virgineum pectus, tot vulneribus san-
 ctissima anima tua sauciatur? quo im-
 mensus iste dolor, quo acerbissima suspi-
 ria? parum vereor illa mihi proderunt,
 nisi tu in extrema illa necessitate, dum
 absumptis viribus, fractis oculis, mem-
 bris gelido sudore fluentibus ictum
 mortis fatalem excipiam, nisi tum mi-
 hi O peccatorum spes & refugium, opi-
 tuleris. Illo, igitur, O tristissima Mater,
 humillime precor, ut decretorio mo-
 mento, à quo pendet æternitas, infi-
 mum clientulum potentissimo tuo mu-
 nias patrocinio, ut puram beatamque
 animam in tuas illas benedictas, & filii
 tui dilectissimi manus consignem.
 Amen fiat!

Depositio Christi de cruce in sinum Virginis.

Ave dulcis Mater Christi,
 Quæ de cruce mortuum
 Ulnis natum suscepisti,
 Madens undâ fletuum.

Eia præstet vis doloris
 Mater plena gratiæ,
 Ut supremis server horis

Gremio clementiæ. *Ave Maria.*

Oratio.

Quis hoc spectaculo non obstupescat? Divinum corpus intueor in Virginis sinu, frigido sudore, & concreto sanguine coopertum. O Mater, tuusne est ille unigenitus? hæc illa facies, in quam tecum desiderant Angeli prospicere? an potes, cum talem amplecteris, non tota dissolvi, penitusque deficere? Tu vero Christiane etiamnum peccare pergis? hoc est pro te jam perempto crudeliter Christo novum vulnus infligere, simulque novo doloris gladio Matris illius pectus pervadere? potius montes cadite super me! ante me terra, cœlumque opprimat, quam facinus tam immane committam. Amen.

7.

Sepultura Christi.

Ave dulcis Mater Christi,
 Quæ sepulchro conditum
 Plangens natum, heu quam tristi
 Mente volvis abitum!
 In virtute tot dolorum,
 Quos tulisti fortiter,
 Omnem contra vim malorum
 Stare fac viriliter;
 Demum sorte beatorum
 Fac gaudere jugiter. *Ave Maria.*

Oratio.

ENim vero huic funeri interesse tam
 favæ necis causa ausis peccatrix
 anima mea? neque formidas ne ad tuam
 præsentiam concretus sanguis ebulliat?
 quin & apertis vulneribus tuorum cri-
 minum accusator cruor erumpat? Ergo
 eminus cum Publicano pœnitente con-
 sistam, pereutiensque pectus meum, la-
 crymantibus oculis libellum supplicem
 ad pedes tuæ maternæ pietatis depo-
 nam, O peccatorum asylum, humillime
 deprecās ac submisissime rogans, ut sce-
 lerum meorum solutis nexibus, me in

D

gra-

gratiam cum filio tuo redire, impetres. Hæc mihi precor misericordia per tuam pietatem obtingat Mater Dei, & Mater misericordiæ! hanc omnibus votis, totoque affectu, per acerbissimos cruciatus, ac mortem filii tui, perque ejus sacrosancta vulnera, tuaque eo temporis articulo animi tormenta, filiali cum confidentia rogo nunc, & in hora mortis meæ Amen. fiat!

Commendatio ad Virginem septem doloribus sauciam.

Quid amantissima, & dolorosissima Mater mea, quid inquam innocentissimo cordi tuo Virgineo, quid tenerissimo pectori materno septem durissimis gladiis perfosso rependam? Utinam anima mea nocentissima petatur, fodiatur, & configatur sanctis tuis doloribus! *Eia igitur Mater istud agas, Christi tui fige plagas, cordi meo valide.* Moraris etiam piissima Mater & Domina mea? quod si mereor tormenta tanta, concede ea merenti; si non mereor, concede humil-

millime supplicanti, da poscenti, largire desideranti, impertire deprecanti. Materni amoris erga indignum, & sordidum peccatorem erit signum & tessera multiplex hic mucro: O Regina martyrum, & mater dolorum: si quid apud te est, valetque oblatum olim in templo filiolus, si quid profugus in Ægyptum parvulus, si quid triduo perditus, si quid cum cruce factus tibi obvius, si quid in probrosa trabe suspensus, si quid moriens, si quid inter amplexus tuos, sinumque depositus, si quid sepultus; si quid amarum, & amabile tibi in Christo tuo, partire mecum dolores tuos, partire filii passionem; ut utriusque commiseratione liquefiat anima mea. Sed ne repulsam patriar, verearve O clementissima Domina, id extremum rogo, ne tuos, filiique tui imprimis dolores augeam, ne unquam peccem deinceps, reliquis tuæ pietatis beneficiis maternelle annecte O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria. Amen fiat!

Parthenophile, quidquamne amor tuus, quo dolorosam Virginem comple-

Eteris tibi suggerit, quod præmii loco à
 tantæ pietatis Matre expectes? forte
 illud mihi repones, quod legisti ali-
 quando apud magnum illum amicum
 melliflui Bernardi, *B. Arnold. Carnotens.*
tract. de laud. V. tom. 6. bib. PP. Habet ho-
mo mediatorem causæ suæ filium ante Patrem,
Et ante filium Matrem; Christus Patri osen-
dit latus, Et vulnera: Maria Christo pedus,
Et ubera: nec potest ullo modo esse repulsa, ubi
concurrunt, Et orant omni lingua disertius hæc
clementiæ monumenta, Et charitatis insignia.
 Bene profectò; verum cum in genere,
 ut philosophi loquuntur, solum præmii
 speres favorem, quid potissimum ex-
 pio considerationis affectu erga dolo-
 rosam tuam Matrem expectare possis,
 sequenti edocebo historiâ: Narrant re-
 velationes S. Birgittæ *lib. 6. cap. 97.* de
 viro quodam illustri, qui sexagenarius
 nunquam sacra exomologesi animum
 purgârat, nunquam cœlesti medicina
 vel epulo Eucharistico refecerat; quin
 & præstito aliquoties pessimo Dæmoni
 homagio, in gravissimis sceleribus por-
 ci instar volutatus, tandem ad extrema
 deduc-

Etus est. Eo in discrimine constitutus, cum vel desperasset omnino, vel desperationi proximus esset, Birgitta commiseratione pereuntis tacta, eidem sacerdotem submitit, cui (tangente cor hominis DEO) peccata confessus est, perceptoque Christi sacrosancto corpore, è vitâ discessit. Verum quò hanc hominis animam evolasse arbitraris? Salvator noster Jesus ad Birgittam suam hæc retulit: Hic vir ob conceptum animo de peccatis dolorem, quem illi mea benignitate, & merito Matris meæ ad extremum concessi, purgatorii igne tantisper adductus est, confixusque. Nam licet homo ille matrem meam in vitâ parum admodum coluerit, habuit tamen id boni moris, ut quoties de ipsius doloribus audisset aliquid, aut meminisset solum, illico condolefceret; quæ res illi fuit salutis compendium. Vide sis Parthenophile mi, quantum tibi de felici morte, deq; vita æterna polliceri possis, dum sæpius dolorum Beatissimæ Matris tuæ recordaris, cum sinceræ sis conscientia, & cordati animi, postquam

tantus malefactor tantum hoc medio
consecutus sit salutis beneficium.

DIES MARTIS.

Pater tuus, & ego dolentes quæreba-
mus Te. *Lucæ 2.*

CAPUT I.

*Tertia consideratio magnitudinis dolorum B.
V. MARIÆ ex unione & assimilatione
passionis ipsius cum passionibus
Salvatoris.*

Tot, tantique dolores patientis Do-
mini JESU fuere, quod apprimè
nosti Parthenophile, ut non ambigant
complures Doctores eos infernalibus
comparare suppliciis, juxta illud *Psalm.*
Dolores inferni circumdederunt me. Simile
quid de dolorosa Matre tuâ astruunt
comprimis graves, & eruditi scriptores;
videturque ipsa Virgo testari, cum in-
quit *Cant. 1. Nigra sum, sed formosa, sicut
tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*
Hæc siquidem verba Carthusianus pa-
tien-